

## Version latine

### La mascotte du régiment

*Quelque part en Hispanie, dans les années 80 avant notre ère. Soldat d'exception, organisateur né, le général romain Sertorius était un meneur d'hommes, qu'il n'hésitait pas à manipuler pour parvenir à ses fins. En voici un exemple demeuré célèbre, qui contribua à faire de lui un héros de légende.*

Sertorius, uir acer egregiusque dux et utendi regendique exercitus peritus fuit. Is in temporibus difficillimis et mentiebatur ad milites, si mendacium prodesset, et litteras compositas pro ueris legebat et somnium simulabat et falsas religiones conferebat, si quid istae res eum apud militum animos adiutabant. Illud adeo Sertorii nobile est : cerua alba eximiae pulchritudinis et uiuacissimae celeritatis a Lusitano ei quodam dono data est. Hanc sibi oblatam diuinitus et instinctam Diana numine conloqui secum monereque et docere quae utilia factu essent persuadere omnibus instituit ac, si quid durius uidebatur quod imperandum militibus foret, a cerua esse monitum praedicabat. Id cum dixerat, uniuersi tamquam si deo libentes parebant. Ea cerua quodam die, cum incursio esset hostium nuntiata, festinatione ac tumultu consternata in fugam se prorupit atque in palude proxima delituit et postea requisita perisse creditast<sup>1</sup>. Neque multis diebus post inuentam esse ceruam Sertorio nuntiatur. Tum qui<sup>2</sup> nuntiauerat iussit tacere ac ne cui palam diceret interminatus est praecepsitque ut eam postero die repente in eum locum in quo ipse cum amicis esset inmitteret. Admissis deinde amicis postridie uisum sibi esse ait in quiete ceruam quae perisset ad se reuerti et, ut prius consuerat, quod opus esset facto praedicere ; tum seruo quod imperauerat significat, cerua emissa in cubiculum Sertorii introrupit, clamor factus et orta admiratio est.

Aulu-Gelle

---

<sup>1</sup> Creditast = credita est.

<sup>2</sup> Tum qui = tum eum qui.